51733|A

Libreria Antiquaria
ANGELO GANDOLFI
BOLOGNA

Materia Scienze VIII
Ubicazione XLIII B
Volumi 1
Prezzo L. 2-

1910

10.C.45. 30734

SCHEDIASMA
DE
THERMIS
PÖSTHENIENSIBUS.

AUCTORE

JUSTO JOANNE TORKOS,

Medicinæ Doctore, nec non Liberæ, Regiæque Civitatis Posonienſis

PHYSICO ORDINARIO.

Posonii, Typis Royerianis, 1745.



AD

Per-Illustrem, ac Generosum

DOMINUM

PAULUM

JESZENÁK,

Inclytorum Comitatuum

POSONIENSIS & MOSSONIENSIS

ASSESSOREM.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

PERILLUSTRIS AC GENEROSE DOMINE!

Verè dicit Cicero: Nemo eſt mortalium, quem non attingat dolor, morbusque. Ita TE quoque VIR ILLUSTRIS, ante triennium invaſerat ægritudo Rheumatica, quam Medici Lumbaginem nuncupant. Ad eam aufferendam, nullis ſanè pepercisti ſumptibus, Thermis diverſis uſus es, Medici Clariſſimi conſilia ſuppeditarunt optima;

ptima ; nil defuit aliud, quam quæ-ſitus & optatus effectus.

Morbus ille contriverat vires TUAS, ac elumbem TE reddidit, quin & Medici & Amici TUI, de ſalute TUA jam deſperaverant. Tandem ſuaſu meo, multis quamvis renitentibus, adiiſti Thermas Pó-ſthenienſes, quæ effecerunt id, ut modo pancratice vivas. Admirati ſunt tam ſingularem efficaciam harum Thermarum Amici TUI, penitiusque de Conditione, Natura, ac Virtutibus earum informari cupiverunt. Hinc petieras à me brevem earum Deſcriptionem, quam quod hactenus non ſuppeditaverim, & hucuſque diſtulerim, neque negligentia, neque laboris fuga in cauſa fuit ; ſed partim diverſa impedimenta, hinc atque inde occurrentia, impri-

inprimis elaboratio Taxæ Pharmaceuticæ, cum Nomenclaturis, Latina, Hungarica, Germanica, & Slavica, per Excelsum Consilium Locumtenentiale Regium *mihi demandata; partim quædam Experimenta & Observationes ad illustrandam Thermarum Naturam, & Virtutem adhuc necessaria, me retraxerunt. Agnosces ita causam dilati officii, & pro singulari TUO in me adfectu etiam libenter ignosces.*

Nunc itaque ad id, quod invitus ac coactus distuli, lubens accedo, magis quidem ut Voluntati TUÆ morem geram, quam ut sperem, me exantlando huic negotio parem fore, cum sciam Auctores quosdam, has Thermas leviter saltem attigisse; alios vero, propter Res quasdam ex-

plicatu difficiles, silentio præteriisse: quin miror Tollium & Brückmannum, solertissimos & curiosissimos Rerum Naturalium Hungaricarum scrutatores, alioquin in vicinitate harum Thermarum diversantes, eas non accessisse, vel saltem earum meminisse: Confido tamen, TIBI satisfieri, si, quantum vires meæ tulerint, Ea, breviter ac dilucide explicavero, ad quæ ingenii mei tenuitas potuit pervenire. Vale, & favere perge

TUI

Dab. Posonii Idibus Aprilis
MDCCXLV.

Studiosissimo
JUSTO JOANNI TORKOS.

Pösthe-

Pósthenium, vulgo Piesthan, Pischtan, est Oppidum Comitatus Nittriensis, ad Vagum fluvium situm, Ditionis Hæreditariæ Erdödyanæ, & Forgátsianæ, quod ex parte Australi & Occidua planiciem apricam fertilissimam, parte vero Boreali & Orientali amœnissimas montium & collium coronides spectat: distat hinc versus Occasum hybernum Tyrnavia quatuor, Posonium novem milliaria, & infra secundo fluvio, situ Australi ad Leopoldopolim & Galgotzium sunt duo; ad Arctum vero Vág-Uyhelinum duo, & Trentsinium quatuor milliaria. Vicinos habet Vicos, citeriori Vagi parte Tepliczam, ulteriori Bankam, in quibus, utut Oppidum ipsum recipiendo hospite sat

Situs Oppidi Pósthén.

te, ſat commodum exiſtat, tamen, quia hi Vago propiores ſunt, ac prout Thermæ modo hac, modo altera Vagi ripa conſtituuntur, balneantes potius hic vel illic divertere ſolent. Vicina quoque ſunt Oppida & Caſtella, ex ulteriori montana parte Moravanka Comitum Csáky, Luka Baronum Sandor, Szokolotz Comitum Nyári; in protenſa vero planicie Vici & Oppida numeroſiora, hortis luxuriantia, omnibusque ad victum neceſſariis inſtructiſſima, ex quibus, ſi fors Pöſthenium, & Vici contermini ſuppeditandis victualibus non ſufficerent, omnia levi pretio depromi poſſunt. Præterea intra Montes, ſylvæ & dumeta feris, avibusque delicatioris guſtus, & rivuli truttis abundant, nec non ad Vicos, Lehota uno milliari, atque Kocholna tribus horis, Pöſthenio diſtantibus, reperiuntur Acidulæ præſtantes & ſaluberrimæ.

Cele-

Celebratiſſimæ ad hoc Oppidum exiſtunt Thermæ, in perpetuo quaſi connubio Vagi conſtitutæ, in ejusdemque alterutra ripa propullulantes, Pöſtheniæ dictæ, de quibus nonnullorum Auctorum teſtimonia præmittere, eademque communicare uti non pigebit, ita forte non diſplicebit. *Thermæ Pöſtheniæ.* *Earum meminerunt.*

Sic Wernherus in Tractatu de admirandis Hungariæ Aquis, Anno 1505. edito: Vagi ripa ſupra Galgotzium nunc maxime nobilitata eſt Calidis, non propter vim earum ſalubrem tantum, qua *omnes* in *Hungaria Calidas* ſuperare exiſtimantur, ſed etiam propter varium, planeque mirabilem earum ortum. Non enim ullum certum fontem habent, ſed alveum fluminis ſequuntur, & ut is excreſcit, vel decreſcit, ita aut recedunt, aut accedunt; ſolent autem, quo magis exundat, hoc magis recedere: proinde, qui lavare volunt, ſub- *Wernherus.*

inde alias atque alias ſcrobes fodere, & quaſi novos puteos aperire coguntur. Id, cum intra alveum eſt fluvius, fit in glarea; cum vero exit, in terra argilloſa & ſolida, in qua, alioquin non reſtagnante fluvio, nil pene humoris exiſtit. Neque tamen in ripa tantum eruuntur Calidæ, ſed etiam intra Amnem, ſi fundum ejus pedibus ſuffodias. Calent autem immodice, nec ſunt idoneæ balneis, niſi temperentur, quod, admixtione frigidæ de proximo hauſtæ, in proclivi eſt; ſed quia magis ſalutares eſſe creduntur præ miſtura, qui Medicinam inde petunt, defervere eas ſinunt, quod pro temporis ratione alias ſerius, alias citius fit. Nunquam ſic defervent, quin, qui in eas deſcendunt, tegete ceſpitéve, aut ramis in fundum ſcrobis injectis, imas corporis partes, adverſus ebullientis caloris vim munire cogantur. Eſſe autem eas adverſus Diuturnos, ac pene Deſperatos Morbos efficaciſſi-

ciſſimas, multis Experimentis cognitum eſt, & adhuc in dies magis ac magis cognoſcitur.

Iſtvánffius Hiſt. Hung. L. XXXI. ſub Anno 1599. Sunt Thermæ, inquit, ultra flumen Vagum, quæ Pöſtheniæ vocantur, ſalubres pellendis languoribus, & aquarum natura admirabili: nam egeſtâ humo, tanto è ſcrobibus fervore proſiliunt, ut ſuſtineri nequeant, niſi ſatis longo tempore intepeſcant, aut frigidâ infusâ temperentur. Vago autem creſcente recedunt, & cum decreſcit, ſequuntur, nec in frigidioris fluminis fundo, ſi ſuffodiatur, ebullire deſinunt. Creduntur autem adverſus quoslibet etiam Diuturniores Morbos, ſed potiſſimum Cutaneos ſaluberrimæ, & teſtante ſæpius Experientia efficaciſſimæ. *Iſtvánffius.*

Frœlichius in Viatorio ſuo An. 1643. edito, notat: has Thermas Augmentum & Decrementum Fluvii *Frœlichius.*

vii sequi, & jam prope alveum erumpere, jam remotius: ubicunque scrobs foditur, aquam ebullire; rara tellure facile mutari exitum, & scatebram affluxu validiore, perinde ut flumina a mari, repelli.

Zeilerus. Zeilerus in Descriptione Hungariæ, Germanico idiomate Anno 1646. edita, Thermas has saluberrimas pronunciat, ac refert: Balnea hic non esse cincta vel tecta, sed passim scrobes effodi, easdemque juxta augmentum vel decrementum Vagi sæpe mutari debere, nimirum, si is accrescit, scrobes propius ad montem, sin decrescit, longius ab eodem fodiendas esse: quove propius ad fluvium fossa fit, eo ferventiorem aquam ebullire, in qua, nisi prius deferveat, neminem balneare posse; si insessu frigidiores fierent, saltem digitis pedum, fundum esse suffodiendum, tum illico aquam calidam accedere. Esse vero Memorabile & Optimum

Bal-

Balneum contra Arenam, Scabiem, nova & antiqua Ulcera, ac dolorem Articulorum, ſtatimque apparere, an ad mortem, vel ad vitam tendat ægritudo.

Crato trium Imperatorum Ferdin. I. Maximil. II. Rudolphi II. Archiater, Conſiliorum Medicorum Libr. V. conſ. 35. A. 1571. Cuidam Baroni adverſus Iſchiadicum dolorem illutationem Luti Thermarum Pöſthenienſium per 40. dies continuandam, commendavit. *Crato.*

Eduardus Browne in Itinerario ſuo meminit, ſe Anno 1671. ex parte Bankenſi quindecim Balnea numerâſſe, illa verò eſſe ſalubria, & virtutes eorum palam cognitas: Extitiſſe quoque Balnea ante 20. annos, i. e. ante Annum 1650. in altera, id eſt, Tepliczenſi Vagi ripa, à flumine jam abſorpta; Sedimentum ea habere album & continere Stannum, Cuprum vel Argentum, quæ inſtar Atramenti nigreſcerent; *Brownius.*

pro-

proximè ad Balnea esse Lapidicinam venis Cretaceis diversi coloris, excepto viridi, refertam.

Benefchovinus. Adamus Trajanus Benefchovinus Carmine Trenchinii A. 1642. impresso has Thermas perinde descripsit ac collaudavit, ex quo quædam ad rem pertinentia hic apponere lubet, sic autem ille inter alia:

Ne memorem Thermas alias, hic Pösthinienses
Sic dictas, nobis commemorare lubet.
Non ibi ceu Thermis aliis ex fonte perenni
Promanat calidæ rivus amœnus aquæ.
Effodiuntur enim foveæ in Sabulo ordine nullo
Parvæ, plenæ mox exsilientis aquæ.
Rusticus has operit foveas, bene frondibus altæ
Ilicis, aut ramis populeisque comis.
Corporis infirmi nudatos abluit artus
Æger ibi, & nulla lege vetante manet.
Confectus variis morbis vel febribus, illic
Quærit opem infirmo corpori & auxilium.

Si ca-

Si calet, ut nequeat nimium ſufferre calorem
Præ manibus Vagus eſt, contiguúsque fluit.
Sæpius ille Vagus rapidus, furibundus & aſper
Submergit cunctos hos quoque fonticulos.
Deſtruit umbracula atque locum omnem complet arenis,
Una cum ripis omnia quæque rapit.
Delere aſt penitus, viſu mirabile, Thermas
Ulla ſi vellet vel ratione nequit.
Nec ſinit Omnipotens, nihil eſt ſine Numine Divûm,
Altera enim Mons eſt parte Vagi egregius.
Qui tumidas mox indignati fluminis iras
Compeſcit, Rabiem, murmura ſæva domat.
Horriſonisque etiam magna vi fluctibus obſtat,
Efficit, ut Thermas ſemper adeſſe velit.
Cogitur ergo iterum foveas purgare Colonus
Omnia non tarda mox reparare manu.

Et

Et poſt alia, ita de Efficacia illarum.

Tandem huc TE recipe, hic morbi mala quæque repelle,
Convaluiſſe potes, poſt remeare domum.
Aufugiet macies, quæ denudaverat artus,
Et qui turparat pallida membra ſitus.
Diſcedet languor, vires in corde redibunt,
Oraque nativus pinget amœna rubor.
Imbellem ſtomachum bene potus & eſca juvabunt.
Oblatas avido ſumet & ore dapes.
Et quæ deſtituunt ſuccumbere neſcia ſomno
Lumina mulcebit, Pectora blanda quies.

Bacci 9. Andreas Baccius opere ſuo de de Thermis A. 1571. edito indicat quidem in Indice: Pöſthinienſ. Baln. in Hung. ad fluvium Vagum folio 262. linea 34. ſed eodem folio ſub titulo: Balnea aliqua ad Vagum fluvium in Ungaria, in toto ſubſequente textu ne verbo quidem eorum meminit, ſed recenſendo alia, utpote San&ti Joannis, Trentſinienſia, Baymo-

moczienſia, Stubnenſia, aliáque, horum prorſus oblitus eſt.

Ex his itaque paucorum Auctorum ſat brevibus teſtimoniis patet, has Thermas tam reſpectu mirabilis ſui Ortus & Connubii cum Vago, quam Virtutum ſuarum à pluribus ſeculis eſſe celebratiſſimas, ac pro optimis habitas, ita, ut virtute & fama omnes reliquas Hungariæ Thermas, quarum ſane non paucæ ſunt omnésque ſalubres, & quælibet ſuis elogiis dignæ, ſuperârint. *Hinc à ſeculis pluribus cognitæ, & laudatiſſimæ.*

Quæ verò ſuperioribus ſeculis circa has Thermas obſervata fuerant, eadem ad noſtram uſque ætatem omnia ferme ſimilia ſunt & congruunt. Nam peræque Scaturigines ſub fluminis alveo continentur, cum Vago Fluvio vagantur, nempe illo creſcente à littore recedunt, illo redeunte in conſuetum alveum iſtæ quoque ſequuntur; ſubinde etiam, quod tamen *Memorabilia harum Thermarũ.*

Auctores dicti non tam perspicue notârunt, ex una Vagi Ripa in alteram transmigrant: Iidem quoque imo plures singulares & laudati earum effectus sunt, quotidiana id testante experientia.

Enarrabo ego quoque, per me observata & visa, tribus diversis annis, quibus mihi contigerat occasio, has Thermas salutandi.

Constitutio Thermarum 1732.

Primùm: An. 1732. Thermæ fuerant in citeriori, nempe Teplicensi Vagi Ripa, intra quas & oppositum Montem Bankensem, Vagus tum mediocris 15. Orgyias latus decurrebat, dictique Montis radices undiquaque lambebat, ibidemque maximam profunditatem habuerat. Prope Thermas, pro Balneis accommodatas, ad passus aliquot, in stagnante sinu Fluminis umbilicotenus vadosi, magna quædam Scaturigo, Aquam ferventissimam profundebat. Condescendebant

debant in eam nonnulli, in eaque, aqua alioquin frigida Fluminis circumdati, ſudabant: alii teneriores, ambuſtionem cutis fugientes, unum alterumve paſſum regradiendo ex Fluminis unda frigidiore, refrigerium captabant. Ultra hanc Scaturiginem verſus Montem, erat Pulvinus, ſeu Inſula glareoſa ex aggeſta Arena, ad paſſuum 20. longitudinem & 12. latitudinem, quo paſſim ſuffoſſo, ubique Aqua ferventiſſima adfluxit, imo ultra eumdem in Flumine ipſo genutenus deambulantes, calorem Arenæ difficulter ſuſtinuerunt. Allicuerat me quoque curioſitas, ut idem experirer, unde id beneficii retuli, ut Clavus ſeu Verruca digito minimo pedis inſidens, ac a longo tempore me multum moleſtans, intra deambulandum emollitus ſit, & primo attactu, maximo meo commodo, exciderit. Erant vero tum Balnea ſex a dicta Scaturigine magna, 4. 6. 8. 10. 12. 14. paſſibus diſtan-

tia. Tum quoque mihi relatum eſt A. 1727. in adverſa ſeu Bankenſi Vagi Ripa, ſub ipſa radice Montis, Balneum quoddam fuiſſe adaptatum, citerioribus & fervore & luto contento, & Virtutibus ſimillimum, poſtea vero dirutum, lapidibusqne repletum. Illud Balneum illico aperiri & effodi curavi, moxque magna copia Aquæ ferventiſſimæ undiquaque, inprimis vero eo latere, quo Monti contiguum erat, adfluxit, ut exiſtimarim, harum Thermarum receptacula & hydrophylacia in hujus Montis gremio eſſe recondita.

Eadē A. 1740. Anno vero 1740. omnia immutata vidi, nimirum, Vagus a radice Montis ad decem Orgyias receſſerat, & ubi A. 1732. maximam profunditatem habuit, ibi loca omnia Arenâ replevit: Locus Balneorum A. 1732. a Vago prorſus fuit abſorptus, eique totum pondus Fluminis incubuit: Balnea vero fue-

fuerant in adversa, nempe Bankensi Vagi Ripa.

Anno demum 1743. observavi Vagum a dicto Monte adhuc sex Orgyis ultro, ita quoque Thermas eumdem sectantes a pristino loco Anni 1740. totidem Orgyis discessisse. Eadē A. 1743. Cumque loca Balneorum A. 1740. effodi curassem, ne gutta quidem Aquæ calidæ, e contra tanta copia gelidæ adfluxit, ut eidem emergendæ, plurimi homines non sufficerint. Similiter locum Balnei A. 1727. sub radice Montis constituti, aperiri curavi, sed ibi quoque, Aquâ frigidâ undiquaque irruente, ne vestigium Calidæ aderat, unde conjicere debui, memet fefellisse, dum An. 1732. existimaveram, Thermas has ex Monte prænotato Originem habere. Præterea Vago detumescente, in medio Fluminis tres Orgyias profundi, sereno Cœlo conspexi Petram prominentem, circa quam in sat am-

plo circuitu Aqua perpetuo fluctuabat, & ex ipsa, magna erumpebat Scaturigo, quamplurimas bullas longe lateque extrudens: Calidam hanc esse, & sentiri, Vago magis decrescente, asseverabant Incolæ.

Scaturiginis locus perennis.

Combinando itaque Scaturiginis hujus, illiusque A. 1732. observatæ, nec non Pulvini de Anno eodem, Balneorumque hujus Anni 1743. Locationes, æqualemque distantiam a Monte, secundum dimensionem & spatium locale, nemo negaverit, hanc & illam Scaturiginem unam eandemque, locaque Pulvini prænotati, & Balneorum hujus Anni eadem esse, adeoque locum Scaturiginum perennem.

At qui fiant, tam multiplices migrationes harum Thermarum, ex Ripa una in alteram, nec non cessiones & retrocessiones earundem crescente vel decrescente Vago, multorum animos torsit, & in admirationem abripuit. Con-

Conſtat vero Wernheri de Anno 1505. Iſtvánffii de Anno 1599. atque Beneſchovini de Anno 1642. recenſionibus, Thermas extitiſſe in Ripa citeriore Tepliczenſi; Zeileri autem de Anno 1646. & Brownii de Anno 1671. in Ripa ulteriore Bankenſi, quin retulerunt mihi Seneſ, Eaſdem, ſuâ memoriâ, a tempore illo, conſtanter uſque ad Annum 1709. ibidem, adeoque ultra ſexaginta Annos in uno eodemque loco perſeveraſſe, atque extitiſſe Balnea minora plura, majora vero tria, quorum maximum tantæ Capacitatis fuit, ut centum individua continere potuerit. Prouti denique poſterioribus Annis, plures tales harum Thermarum numerantur migrationes, ita nullum dubium eſt, eaſdem prioribus quoque ſeculis accidiſſe, utut Auctores nullam hujus Rei expreſſam faciant mentionem. Harum vero Migrationum non aliam cauſam agnoſco, quam Variationem & De-

Ratio migrationis Thermarū.

volutionem Fluminis huc illucve. Vagus enim quia rapidus est, fundus vero, per quem hic loci decurrere solet, undiquaque glareosus, facile novos Meatus ac Alveos sibi effodit, a loco Scaturiginum hinc illincve digreditur, adeoque Thermas mox in hanc, mox in alteram Ripam. mox etiam in Pulvinum, quem ex renis aggerit, in sui medium, collocat.

Ratio cessionis & retrocessionis.

Quod verò Cessiones & Retrocessiones Thermarum accrescente vel decrescente Vago concernit, hujus rei causàm illustranti xperimenta Physica, quibus demonstratur, Aquam premere secundum altitudinem & molem suam, nimirum, quo columna & moles Aquæ altior & major est, eo quoque magis premit. Hinc accrescente Vago teneriores Scaturigines, incumbente sibi jam majori columna & mole Aquæ Vaganæ, quam antea, supprimuntur, quo minus erumpere queant, interea tamen,

tamen, cum lympham ſuam continuo fundant, hæc ab Aqua Vagana per arenæ & Glareæ poros premitur & continetur eouſque, donec Aqua Thermalis, ſuperato Æquilibrio Aquæ Vaganæ, in proxima ripa, erumpere queat. Hinc elucefcit etiam, quamobrem ſupra memorata genutenus vadoſa Vagi loca caluerint, & Scaturigo illa magna in Anno 1743 in medio amne ejusque profunditate deliteſcens, ſemper vigeat, & a Vago ſupprimi, tolli vel deleri nequeat, nimirum, quia Scaturiginis Ejusdem columna & moles, altitudine & mole fluminis altior & major eſt, ejusdemque Æquilibrium longe tranſcendit. Quando vero Vagus decreſcit, tum obice remoto, Aqua Thermalis verſus ſuas Scaturigines redit, ac in priſtinis ſuis locis emergit.

At hæc non contingerent, ſi Thermarum locus a connubio Vagi præcluderetur, & Vagus ad quinqua-

Quomodo Thermæ constantes fieri possent.

ginta circiter Orgyjas a monte versus Tepliczam in alveum antiquum, quo ab Anno 1646. usque ad Annum 1709. continebatur, derivaretur, sic enim & solidum opus ædificari & superstrui, & Thermæ usui constanti accomodari possent.

Incommoda & offendicula quædã nil derogant virtuti Thermarũ.

Quam memorabiles verò quamque efficaces hæ Thermæ existunt, tam molesta subinde & incommoda Balneatio est, ob Vagi Exundationes majores, per quas Thermæ prorsus absorbentur, & Balneantes tamdiu earum usu privantur, donec is iterum decrescat; decrescit verò tam celeriter, quam accrescere solet, nisi fors, Imbres crebriores prout A. 1744. factum, ac propterea nemo balneare poterat (id quod aliis annis unquam accidisse, nemo recordatur) eumdem exaltent, ac in incremento suo sustentent; Si minores sunt Exundationes, tunc quoque Thermæ pristinæ absorbentur & Scaturigines ultro propel-

lun-

luntur, atque ſic in utroque caſu, novæ Scrobes effodiendæ, ac pro Balneis accommodandæ. Cum itaque Exundationes, neque modum, neque certos menſes vel dies ſibi determinent, quia pluviæ quolibet tempore fiunt & aliquando admodum abundant, nives quoque Carpathicæ ſubinde maturius, ſubinde tardius liqueſcunt, hinc nec certi menſes, nec certi dies continuæ & non interruptæ Balneationi deſignari poſſunt, ſed omnia, a diverſitate tempeſtatum & incrementi Vagi pendent. Accedit his, inclementia aëris pluvii & ventoſi, qui non ſolum Tuguriola Thermis ſuperſtructa non raro penetrat, verum etiam balneantium Naturæ inter eundum ad Balneum, & redeundum ad hoſpitium, vim aliquam inferre, poros cutis apertos ſtringere, hinc Catarrhos & defluxiones cauſari poteſt: At hæc multis non videntur magni momenti, cum vel facile id ferre videantur, nec

mani-

manifestum inde sentiant detrimentum, vel tempestate asperiore existente semet domi contineant, & deportata ad hospitium Aqua Thermali, alioquin ferventissima, in cadis balneare possint.

Quando vero Anni tempestas constans & temperata, Vagusque suum ordinarium alveum non transcendit, prædicta incommoda nusquam metuenda.

Eo fors, vel maxime offendi possent Delicati, quod Balnea hic non pomposa & affabre formata, sed rustica manu instar amplioris putei effossa & rudi pavimento strata, ædificium præterea nullum superstructum, sed tantum tuguriolis, ex virgultis, cratibus, ramis arborum & frondibus, constructis, tegantur. At loci necessitatibus obediendum & indulgendum est, donec Dominorum Terrestrium liberalitate ac studio salutis publicæ, boni-

que

que Architecti opera, locus Thermarum & Scaturiginum a Vago præcludi, ab ejusque Exundationibus præmuniri queat.

Sufficit interea, Thermas istas in tam paupere, abjecta & simpliciſſima conditione constitutas, divinarum esse virtutum, & prout efficacia earumdem vetustiſſimis temporibus inclaruit, ita & in præsentiarum tam balneando in ipsis, quam hauriendo illas, in desperatiſſimis morbis opitulari, ideoque passim ex Regno Hungariæ aliisque vicinis Regionibus, ad hoc Naturæ Sanctuarium, ægritudinibus diversis laborantes, cum Medicorum & aliarum Thermarum beneficio curari nequeant, adcurrere, sanosque redire.

Sed transeundum jam est ad Naturam & contenta harum Thermarum explicanda; prævie vero notandum: Proximum montem Bankensem ad Thermas situm, totum *Montes vicini lapidē*

Cre-

fissilem friabilem & cretam diversi coloris continent, ex iisque Thermarum ortus creditur.

Cretaceum esse, reperitur enim ibi Creta alba, rubrica, ochra, in primis horum colorum diversitas in antro latomiarum jam antiquatarum, jucundo spectaculo oculos oblectat; sic enim color ruber, albus, flavus, violaceus, gryseusve intermixti sunt, ut lævigata marmora vel picturam existimes. Utuntur his cretaceis terris Incolæ vicini, ad incrustandas nitidioresque reddendas domunculas. Reliqui Montes, qui altius versus Septentrionem protenduntur, terrâ argillosâ fertilissimâ, pallide rubente, & agriculturæ maximè idonea, gaudent; in gremio sui vero, lapidem fissilem, friabilem cretaceum, diversi coloris, albi, nigri, rubri, flavi continent, quin in editioribus jugis, fragmenta quoque viridia collegeram, quæ aëri libero exposita, intra quatuor mensium spatium in pulverem rubricæ similem fatiscebant. Ex his Montibus Thermas nostras Originem petere, nullum est dubium; quin

quin lutum & terra in iisdem conſpicua, id evincere videntur.

Conſiderando itaque Aquam Thermalem, primum ſeſe offert, Calor earum ferventiſſimus, ita ut ovum, intra horæ minutum, indureſcat & pullus deplumari queat. Quia vero tam vehementem calorem, Balneantes ferre nequeunt, hinc Aqua Thermalis, pro Balneo prius defervere & in teporem cujuslibet Naturæ congruum reduci debet, quod fit, Canaliculum ex Balneo verſus Vagum effodiendo, per quem aquæ ferventioris, alioquin ſemper ſumma petentis, lenta derivatio fiat. Hac modalitate id quoque obtinetur, ut ſordes in ſuperficie Balnei natantes, defluere queant. Olim, innuentibus Wernhero, Iſtvanfio, Beneſchovino, affusâ Aquâ frigidâ Vagi temperabatur fervor nimius, & hic modus hodiedum perperam quibusdam in uſu eſt; nam frigida illico fundum petit

Thermarum Calor.

Quomodo temperetur.

petit & partes inferiores Corporis salubri efficaciâ Thermalis Aquæ privat, non obstante eo, quod fundo digitis pedum suffossso, recens & fervida propullulet, ea enim altius considet, Aqua inerte in fundo perseverante.

Thermalis Aquæ Color, Odor, Sapor.

Color ipsius Aquæ Thermalis est limpidissimus, quando vero in fossa quadam diutius subsistit, primo thalassinum colorem induit, postea sedimentum seu lutum nigrum demittit copiosissimum, quo commoto, violaceum colorem præ se fert. Odor est Sulphureus, & Sapor quodammodo acutus, nidorosus, haud vero putidus.

Quantū differant à Badēsibus.

Equidem supra citatus Brownius in Actis Anglic. A. 1670. Thermas has assimilat Badensibus in Austria, nam æque ut istas Sedimentum album habere (cujus rei etiam in Itinerario mentionem facit) & argentum denigrare, id quod sulphuri ad-

adscribit; verum enim vero, multis parasangis & ratione fervoris, & ratione Contentorum, & ratione Sedimenti, videlicet Luti nigri (cujus quidem Auctor idem quodammodo meminit) & Sulphuris differunt. Inprimis Austriacæ, Sulphur habent aliquod acidum prædominans, quod acrimonia sua cutim exulcerando, pustulas excitat, id quod in his Thermis fieri nullo modo solet, licet Balneatio diu continuetur, nisi fors in Corporibus summè Cacochymicis: ex quo colligitur, Sulphur harum Thermarum omni aciditate carere.

Aqua Thermalis autem examinata.

Experimēta Physico-Chymica, quibus Contenta Aquæ Thermalis eruuntur.

I. Per Liquores probaticos.

A Syrupo Violarum nec rubebat, nec virideſcebat.

Ab Oleo Tartari per deliqu. Liquore Nitri fixi; Spiritibus acidis Vitrioli, Salis, Nitri; Spiritu Salis Ammoniaci, nulla rea-

 ctio,

ctio, ebullitio, turbatio, vel coloris mutatio ſubſequuta.

A Solutionibus Sacchari Saturni & Mercurii ſublimati turbabatur & lacteſcebat modicè.

A Gallis Turcicis, Coccionellis nulla ſubſequuta Nigredo.

In æquali, dupla triplave quantitate, cum lacte mixta, illud non coagulavit.

II. Per Decoctionem & Evaporationem, reſiduique ſeparationem a Sale admixto.

Curavi viginti quinque libras incoqui, quæ cito evaporarunt. Aqua in coctione ſemper fuit clara, nec Flocculi in ea natitabant: reſidua hinc manſit terra brunei coloris, graviter olens, ſalſa, pendens mediam unciam. Elutriatum hinc per aquam pluvialem Sal, ſaporis protinus amari, nec cum acidis, nec alcalibus effervescens, nec cum Sale Ammoniaco mixtum, volatile quid

quid ſpirans, pendebat Drachmam unam. Reſidua terra, Sale orbata, admovebatur Magneti, ſed is eamdem nec movit, nec quidquam ejusdem attraxit. Præterea inſtar aliarum terrarum, ſolvebatur aceto deſtillato.

III. Per Deſtillationem librarum duarum ex vaſis vitreis.

Primæ guttæ prodeuntes linguam modice titillarunt, variique Colores in Alembico inſtar iridis apparebant; reliqua tota empyrevmatica, & Fuliginem olens tranſiit, remanente in fundo Cucurbitæ Sedimento terreo, ſalſo, brunei coloris, pendente Scrupulum unum.

IV. Per Librationem cum Inſtrumento Statico.

Tenuiſſimam & leviſſimam, inſtar Aquæ pluvialis, deprehendi ad Scatu-

turiginem, ex qua si celerius vitro excipiebatur, infinitæ Bullulæ æthereæ, instar vaporis exsilientes, prodierunt.

V. Per Luti Thermalis, in umbra siccati, Destillationem.

Impositæ nimirum, ejusdem Luti Unciæ tres, vasis vitreis, & ex Arena instituta Destillatio; primùm prodiit Aqua insipida graviter olens, elevabatur demum in collum vitri, eique firmiter adhærens Oleum nigerrimum, fœtidum, spissum, bituminosum, & piceum, acris Saporis. Terra in fundo vitri erat nigerrima, quæ, aperto demum igne in Crucibulo, fortiter ignita, Coloris lateritii evasit.

VI. Per ejusdem Luti Calcinationem.

Odorem sparsit primo Sulphureum, flammulas paucas emisit, for-

fortiſſimo demum igne calcinatum, lateritium Colorem obtinuit, neque tamen vehementiſſima ignis tortura, in fluorem vel mollitiem quamdam deduci, quin nec detonatione inſtituta, Colore ſuo privari potuit.

Conſtitueram quidem plura Experimenta, pluresve Obſervationes, ad uberius cognoſcendam Naturam harum Thermarum, inſtituere. Quamobrem Menſe Februario hujus Anni, Vago glacie tecto eoque parvo exiſtente, memet Pöſthenium contuli, at plane tum, præter omnem opinionem, glacies reſolvebatur, magnaque exundatio Vagi, quæ Thermas protinus abſorpſerat, ſubſecuta, ſicque inſtitutum meum præpedivit.

Interea tamen ex præcitatis paucis probationibus patet, Aquæ Thermali non ineſſe Nitrum, Alumen, ſimplex & ſibi relictum Aci- *Contra Thermarum.*

 dum

dum vel Alcali, Vitriolum, Martem, utut terra cretacea, ex resolutione lapidis Fissilis oriunda, mixtioni ferreæ sit proxima, ad eamdemque adeundam non inepta, vel aliud qualecunque Metallum, sed eandem constare 1. ex Aqua limpidissima & levissima. 2. Spiritu æthereo. 3. Spiritu Sulphureo. 4. Pinguedine bituminosa Sulphurea. 5. Terra cretacea & limosa rubricæ simili. 6. Sale amaro mediæ Naturæ.

Ratio mixtionis earundē.

Mixturam, Texturam, & Limpiditatem Aquæ, conservat Spiritus Sulphureus Mineralis; Levitatem autem Spiritus æthereus, & Calor ferventissimus, quibus partim evolantibus, partim diminutis & secedentibus Aqua & gravior fit, & thalassinum Colorem induit, & Sedimentum demittit. Ad hæc, Spiritus ille Sulphureus a pinguedine bituminosa involvitur & occultatur, quo minus acida ejus indoles

doles in ſenſum incidat, & Effectus corroſivos edere queat : aggrediendo autem terram Alcalinæ indolis, generando Sali medio, materiem & occaſionem præbet. Bitumen vero eidem terræ ſemet inſinuando, hæc vero illud abſorbendo, ac in poros ſuos recipiendo, Lutum conſtituunt.

Virtutes Thermarum generales.

Quis jam hæc accuratius penſitando negaverit, & Aquam Thermalem in integra ſua mixtione conſtitutam, & lutum facta ſeceſſione vigore ſuorum Contentorum, vere polychreſta & balſamica eſſe. Aqua quidem Thermalis, cum ſit Spiritu æthereo, elaſtico & minerali prædita, bitumenque Sulphureum cum terra Alcalina cretacea per mutuam actionem in minutiſſimas ac viſum ſubterfugientes, omnesque poros cutis, & totius corporis noſtri facillime ſubeuntes particulas comminuta, ac in ſaponaceam indolem, in aqua ſolubilem, reſoluta, par-

timque Sal Medium, quod activitatem Aquæ multum adjuvat, in ſinu ſuo foveat; hinc vigore horum Contentorum, ac intimæ ſuæ mixtionis, Virtutibus acidum & acrimoniam diluente, Spaſmos generis nervoſi relaxante, dolores leniente & Anodyna, Nervina & roborante, Sanguinem ſpiſſum attenuante, Viſcidum & coagulata reſolvente, Obſtructiones in viſceribus reſerante, Tumores diverſos diſcutiente, Vulnera & Ulcera tam nova, quam antiqua mundante, exſiccante & conſolidante gaudet. Lutum vero peræque inſigniter roborat, diſcutit, exſiccat, conſolidat.

Specialiores.

Explicatis itaque generalibus Virtutibus harum Thermarum, memet converto ad ſpecialiores affectiones deſignandas, in quibus longa docuit Experientia, eaſdem profuiſſe, & in quibus rationabiliter ſperandum, eas prodeſſe poſſe. Supracitati Auctores collaudant

earum

earum Salubritatem in genere, adversus quoslibet Diuturnos & Desperatos Morbos, in specie contra Arenam, Dolores articulorum, nova & antiqua Ulcera, Scabiem, & reliquos Morbos cutaneos.

Qui autem illi Diuturni & Desperati Morbi sint, horum aliquos Carolus Raygerus Senior, in Observationibus MStis recenset, inquiens: Inprimis efficaces expertus sum has Thermas in Articulorum Doloribus, Contracturis, Paralysi, Paresi, quos omnes adfectus ad stuporem curat. Superaddit his exemplum Viri Perillustris Tyr- *Exemplum I.*
navienſis, qui a morbo quodam præcedente, usum manuum amiserat, ita ut nec scribere, aut comedere, aut quidquam aliud peragere potuerit. Adhibitis autem Thermis, & inprimis Luto ipsarum, eumdem intra paucas septimanas, penitus convaluisse, & exinde ipsi scripsisse.

Adjungam ego quoque exempla, Contracturis affectorum, optime mihi cognita, utut plurima alia enumerare posſem.

Ex. II. Quidam Sacerdos Viennenſis natione Hiſpanus, circiter Sexagenarius, pedibus & manibus contractus, poſtquam fruſtra Thermas Auſtriacas adhibuiſſet, ad haſce miſere advectus, & quotidie bis in easdem deportatus, intra aliquot ſeptimanarum ſpatium ita pedum & manuum uſui reſtitutus eſt, ut, præ gaudio recuperatæ Salutis per diſſolutionem contracturæ, inſtar cujusdam Juvenis in gyrum ſaltitaverit, & manus ſusque deque exagitaverit; declaravitque ſe Viennæ ac etiam in Hiſpaniis & Italia hujus Aquæ virtutes deprædicaturum, cui poſt Divinam Gratiam attribuit recuperatum ſuæ valetudinis ſtatum.

Ex. III. Alter quidam miſer ſimulque pauper, alias corpulentus, annorum circiter 50, quantum memini,

Pro-

Profeſſione Lanio, ita pedibus & manibus contractus fuerat, ut nec minimi articuli motum elicere potuerit quempiam: is per duos bajulos, in Clathro geſtatorio, huc adportatus, & in unam hujus Aquæ Scrobem depoſitus, ibidem continuis tribus Diebus & Noctibus collotenus, non niſi capite extra Aquam proſtante, continuo hæſit immotus, & per alios balneantes ex Charitate & Miſericordia Chriſtiana cibatus & potatus fuerat. Poſt triduum, ſpectantibus multis, ex eadem foſſa, nemine adjuvante in proximam immediateque Vicinam Vagi undam proſerpebat, & in eadem Aqua recente, pariter collotenus per aliquot horas ſedens, multis iterum ſpectantibus & ſtupentibus, propriis viribus aſſurrexit, & DEO Gratias agens, ab omni contractura ſolutus, ſuis pedibus domum perrexit.

Similiter Adm. Rev. P. Dominicus Gajan, Ordinis S. Franciſci, antea *Ex. IV.*

tea Capellanus Caſtrenſis Hungaricus, ob utriusque pedis & manus contracturam, nec movere ſe poterat, ſed cibari & potari per alios debebat. Is intra aliquot hebdomadas plenum utriuſque manus & pedis, ex ejusdem Aquæ Virtute, recepit uſum, & actu Tyrnaviæ munere Concionatoris defungitur.

Laudantur porro contra Arenam, quam experientia teſte utique comminuunt & expellunt, quin ſubaudivi, quemdam Mictu cruento affectum, easdem cum optato effectu bibiſſe.

In doloribus peræque Articulorum, malo Iſchiadico, & inprimis, poſt hos conſequente Membrorum debilitate, ſtupore & immobilitate, multa proſtant exempla easdem profuiſſe.

Quod Ulcera concernit, ſive ea ſint ſimplicia, nova vel inveterata & ha-

& habituata, Cocoëthica, Serpiginoſa, Scorbutica, Calloſa, Sinuoſa, Fiſtuloſa, ex Eryſipelate orta Phagedænica, & multifariam maligna, oſſium carie conjuncta, rebellia & immorigera, ſane horum cura, nullibi brevior & certior eſſe poteſt, quam in his Thermis, præſertim, ſi præter lotionem fiat illutatio. Innumerabilia ita Ulceratorum & Reſtitutorum proſtant exempla, quorum quædam, mihi optime cognita, communico.

Mulier quædam quinquagenaria Lazaro æquiparanda, cujus Facies, Brachia, Crura, multis latis & profundis Ulceribus ſcatebant, intra duas vel tres Septimanas in integrum fuit reſtituta, remanente circa finem, in locis ulcerum, cuticula alba, quæ ſponte demum deciderat. *Ex. V.*

Viri duo ex Eryſipelate pedum in Ulcera phagedænica tranſeunte, alter intra duas, alter intra tres Septi- *Ex. VI. & VII.*

ptimanas convaluerant: priori nisi annuatim Thermis utatur, quædam contingit alteratio, & magnus pruritus locorum olim ulceratorum; alter vero nil simile experitur, & constante sanitate fruitur.

Exem. VIII. Juvenis quidam Moravus, habens ulcus amplum in tibia, intra balneandum me spectante frusta majora ossium carioforum extraxit, & ulcere sanato, nil incommodi amplius sensit.

Cutis quoque Passionibus, ut Pruritui, Pustulis, Scabiei, Crustis, Tineæ, Serpigini, Furfuragini, Lepræ aliisque quamplurimis præsentaneam & certissimam medelam afferunt. Inprimis memorabile Ex-
Ex. IX. emplum suppeditat Judæus octogenarius per universum Corporis habitum a vertice Capitis, usque ad plantas pedum leprosus, qui Balneatione trium Septimanarum bene tolerata, tota cute, una cum Capillis

pillis exutus est, novaque tenerrima, in prioris locum succrescente cute, ex integro convaluit.

Mentionem quoque facit Benefchovinus Maciei, & quidem sine dubio variorum generum ejusdem, sive ex affectione Hypochondriaca, sive juxta Hippocr. Lib. II. de Morbis, Morbo siccatorio & nigro, sive ex aliqua pulmonum affectione oriundorum: Etenim simul infert luridum Habitum, Languores, Stomachi imbecillitatem, insomnitatem, Pectoris afflictionem, quæ ut Symptomata prædictos Morbos comitari solent. Sicuti vero nullum dubium est, in specificatis prioribus generibus Maciei, has Thermas salutares esse experientia teste, ita nec in ultimo genere fefellit Civis hujatis Lanionis Consortem Hæmoptyicam, Anheloſam, luridam Facie & notabiliter Macrescentem, quæ Anno 1732. has Thermas adivit, in iisdem sine ulla incom- *Ex. X.*

commoditate balneavit, simulque quotidie octo libras Aquæ Thermalis bibit: rediit illa inde vegeta facie, non amplius tussiens, nec ab illo tempore hucusque Sanguinis Sputum experta.

Prouti denique notante Istvánfio & Beneschovino adversus quoslibet Morbos, & quæcunque Morbi mala, efficacia harum Thermarum laudatur; ita certum est, hodiedum Vulgus, in omnibus fere morborum generibus, tanquam ad sacram Ancoram eo confugere, easdemque pro Panacæa habere.

Thermarum prodigia & noxæ.

Sed quia impossibile est quamcunque rem omnibus subjectis convenire, præsertim si vel indiscreto tempore, vel indiscreto Morbi gradu adhibeatur; Vulgus vero indiscretim his Thermis utatur, fieri nequit aliter, quin subinde pessimi & exitiosi eventus subsequantur, quos Vulgus præ nimia veneratione

ne, prodigiosæ & Divinæ Virtuti earum adscribit. Inprimis pro malo omine habent, si quis in Balneum condescendens, semet in fundum trahi sentit, vel si quodam Balneante, Balneum cuticulâ obducitur: hinc, quibus similia contingunt, eosdem ab usu ulteriore Thermarum prohibet. Prius accidit cuidam Capitaneo Anno 1743. qui admiratus alios secum Balneantes in una Scrobe, leves esse, & ab Aqua Thermali elevari, se autem detrahi, ac magis magisque fundum petere, continuando tamen Balneum tribus adhuc vicibus, primò Sensum Manuum amisit, postea redeundo domum, intra paucas horas mortuus. Quis hujus Capitanei morbus fuerit, nemo me certiorem reddere potuit, ideoque ratio detractionis, prout etiam cuticulæ balneum obducentis, cum observationes sufficientes, quibus, & quo Morbi genere & gradu laborantibus, hæc contingant, desint, me latet: Interea hæc re- *Ex. XI.*

 vera

vera contingere & contigisse certissimum est. Quamobrem Zeilerus supracitatus, ut ut prædictorum non meminerit, tamen refert, harum Thermarum usu statim apparere, an ad mortem vel ad vitam tendat Ægritudo. Ita quoque Thomas Jordanus in Commentariolo de Aquis Medicatis Moraviæ Anno 1586. edito, ait: De Pösthenienſibus Vulgus dictitare, triduo cuivis Ægrotanti illic necessario, aut moriendum aut convalescendum esse. Prodigii loco hoc habent, quod ego Aquæ robori tribuo. Nam si Aqua convenit, ita est efficax, ut velocissime suam operationem absolvat, & Morbum exterminet; si vero contraria sit Ægritudini, quid impedit, quo minus statim Ægrum jugulet, cum tamen semper eodem modo agat, non secus ac Sol liquefacit ceram, & indurat lutum, quod non in Solis actionem diversam, sed in Subjecti, in quod agit diversitatem, conferendum.

Inte-

Interea, ut ut indiscretus abusus & subsequentes subinde mali effectus justæ meliori famæ & existimationi harum Thermarum multum detrahere videantur, tamen quotquot ad hunc usque diem, mali eventus mihi constant, omnes contigerunt, Ægris solum Tabe, Hydrope, Phthysi confectis, viribus exhaustis, omni Elatere & Tono partium vitali, destitutis, qui sane, sive ad has, sive ad alias efficaciores Thermas proficiscantur, Sarcophagum una secum apportare meminerint.

Interim, quibus adhuc Vigor aliquis Naturalis supereſt, ii, quamvis non Methodice, attamen ad tolerantiam Naturæ suæ iisdem utuntur, non tantum malos eventus haud metuunt, sed præcipue in supracitatis specialioribus affectibus salutarem Virtutem harum Thermarum, alioquin non in uno saltem compertam, sed in plurimis repertam, jugique consensu & experien-

tia plurium sæculorum confirmatam, experiuntur & collaudant.

Quantumvis igitur, si hæ Thermæ nullam aliam, quam in præspecificatis Ægritudinibus, præstarent utilitatem, non satis æstimari possent; nihilominus sub prudenti & circumspecta Directione, atque legitima corporis præparatione præmissa, in aliis quoque Morbis, quibus unquam Thermæ quæcunque præsidio esse possunt, celeriores iique singulares obtinentur effectus. Inprimis conferunt in omnibus affectionibus Nervorum, Musculorum, Artuum; Tumoribus tam inflammatoriis Erysipelaceis, quam frigidis Oedematosis; Defluxionibus Catarrhalibus & Rheumaticis; Oppilationibus Hepatis, Splenis, Renum, Cachexia, Procidentiis ani & uteri, Fluore albo aliisque Morbis uterinis, prouti etiam constat, eas-
Exem. XII. dem, ex Muliere supra memorata Hæmoptyica, Molam pugni magnitudine

tudine, exturbaſſe: proinde nullum dubium eſt, eaſdem etiam contra Sterilitatem Fœminarum, præcipue cum cauſa impediens fuerit Uteri Debilitas & humiditatum Superfluitas ad conceptum adjuvandum, ad eumque præparandum, profuturas.

Modus balneandi.

Modus balneandi, hactenus non quidem adeo Methodicus fuit, nec eſſe poteſt, propter inexſpectatas ac ſubitaneas Vagi inundationes, quamobrem Vulgus temporis lucrandi cauſa, ſæpius Dies Noctesque Balneis inhæret; Honoratiores vero inſident, uſque quo delectat, & bene tolerare queunt. Nihilominus quando tempus favorabile eſt, certum modum eſſe tenendum ratio dictat, & quidem, qui præſervationis gratia, vel non adeo violenti mali cauſa lavare volunt, quinque vel ſeptem dierum lavatione contenti eſſe poſſunt: in Morbis vero pertinacioribus duæ, tres, ſummum quatuor Septimanæ in-

sumendæ sunt, ultra quem terminum, Balneationem haud extendi, sed potius, ubi morbus imminutus quidem, ex integro vero non recessit, aliquot Septimanarum interposita mora, ac recollectis Viribus, illam reiterandam, suaserim. Series observetur sequens: primo die Balneum sit unius horæ, altero unius cum dimidia, tertio duarum horarum, qui summus sit balneandi terminus, in quo, pro ratione dierum Balneationi destinatorum perseverandum, ultimis duobus diebus horâ dimidiâ declinandum, quemadmodum in principio adscensum fuit. Cui libitum est etiam a prandio balneare, is primo die per tres horæ Quadrantes, altero una hora, tertio ac sequentibus hora una & dimidia balneet, tandem ultimis duobus diebus horâ dimidiâ declinet.

Thermo-poesis. Potus harum Thermarum paucis quidem in usu est, utut ante plu-

plures Annos, Balneator quidam ibidem exiſtens, omnibus Balneantibus eundem ſuaſerit; attamen præter exempla ſupra citatorum, Viri mictu cruento laborantis, ac Mulieris Hæmoptyicæ, conſtat easdem bibiſſe quoſdam, cum ſumma euphoria; quin Colonus Bankenſis, multis conteſtantibus, recenſuit, ſe ab adſtrictione Alvi pertinaciſſima, in quintam hebdomadem durante, tandem potu earundem fuiſſe liberatum; alii quoque, qui eas biberant, vim Alvum ſolvendi eisdem attribuunt. *Exem. XIII.*

Cum igitur, ſecurus & utilis in prænominatis affectionibus, Aquæ hujus Thermalis, extiterit potus, eo minus anſa dubitandi ſupereſt, eumdem in aliis quoque Morbis, præcipue Oppilationibus glandularum, & venarum Meſaraicarum, viſcerumque abdominis, paſſione Hypochondriaca, Hyſterica, omnibusque harum adfectionum

Symptomatibus, utpote: Dolore, palpitatione & pulsatione Ventris, Alvi duritie, Stomachi dolore, læsa Concoctione, Appetitu abolito, Oris amaritie & siti, Eructationibus acidis, Vomitu, Respirationis difficultate, Pectoris dolore, Somno gravi & molesto, Doloribus stabilibus & instabilibus totius Corporis, in Macie, & aliis quamplurimis, Hypochondriorum culpa oriundis malis, nec non aliis Sanguinis impuri constitutionibus, salutarem fore. Est autem modus in potando servandus talis. Primò: ratione temporis, ut bibantur ex Scaturigine Matutino tempore, vel Aurora surgente per tres, septem, vel novem dies continuos: deinde ratione quantitatis, ut primo die bibatur sextarius unus, postea quotidie paulatim procedatur, adaugendo quantitatem ad tolerantiam ventriculi, & consequentem sufficientem evacuationem; oportet enim omnem ebibitæ Aquæ men-

menſuram exturbari ex corpore, nec antea quidquam ſumendum cibi vel potus, quam univerſa peracta ſit ejuſdem evacuatio, quam deſignat Urina non amplius aquoſa, ſed priſtino ſub-croceo colore tincta. Qui vero Thermopotationi lavationem conjungere velit, is alternando dies, uno lavet, altero bibat.

Corporis Præparatio requiritur.

Sive autem exterius per Balneum, ſive interius per Potum, his Thermis utendum ſit, univerſaliter convenit, Corpus prius bene præparare evacuationibus, nempe laxatione, & ſi ſanguis abundat, venæ ſectione. Plura hac de re hic commemorare non lubet, cum magna ſit diverſitas individuorum, & circumſtantiarum, quæ Medicus quilibet, harum rerum gnarus, diſcernere, Balneationem & Thermopotationem tam ratione temporis, horæ, menſuræ & ordinis dirigere, quam accidentibus ex utroque ſubinde

contingentibus, pro Indicantium varietate, occurrere debet.

Lutatio. Lutationis cum Luto, quod in Thermis subsidet, frequentissimus usus est; illutantur enim eodem sine discrimine, omnes corporis partes: Caput in Hemicrania, Cephalalgia, Ophthalmia, Aurium dolore: Pectus in dolore ejusdem, Respiratione difficili, Asthmate: Abdomen in Tumoribus Hepatis, Splenis, Hydrope Ascite, Colica, doloribus Nephriticis: Artus in Contractura, Aridura, doloribus Rhevmaticis & Ischiadicis, Tophis Articulorum, Paralysi & Paresi ab Apoplexia vel Colica oriundis, Junctturarum luxatarum & Membrorum debilitate, Tumoribus inflammatis, frigidis, duris & contumacibus, Ardore volæ manus & plantarum pedis, Vulneribus item, & Ulceribus singulis: Totum denique corpus in Anasarca, Scabie, & multis aliis cutis adfectibus. In his singulis dicta

dicta illutatio, Exemplis certis in facie loci conſpicuis, notabiles & ſubinde præſentaneas exſerit Virtutes, diſcutientem, emollientem, roborantem & conſolidantem.

Hæc itaque ſunt, quæ in præſentiarum de Thermis Pöſthenienſibus ichnographicè differere volui. Optandum ſane, ut hoc inſigne DEI & Naturæ beneficium, ab Antiquis laudatum, & in magno pretio habitum, Noſtro quoque ſeculo, quotidianis exemplis comprobatum, quale, quantumve eſſet, per hunc laborem meum, manifeſtius fieret & gratius, Dominique Terreſtres, ad ſumptus in ſecuritatem & commoditatem ejuſdem, conferendos, animarentur; tum vero, quam latiſſime divulgatum, non ſolum Noſtris, ſed etiam Exteris prodeſſet. *Conclu-ſio.*

FINIS.